

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

11 September 2015

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. John of Salisbury to Pope Adrian IV in support of Merton Priory

Ad ostium maiestatis uestrae pulsare totiens erubescerem, nisi pudorem meum et deuotionis meae sinceritas et eminentiae uestrae benignitas animaret et eorum, quibus nulla ratione deesse possum, instantia me ad scribendum compelleret uel inuitum. Sanctorum fratrum qui apud Meritonam Domino famulantur et luce bonorum operum illustant insulam nostram, uexationibus et iniuriis tanto magis compatiar quanto certius habeo eosdem a laesione omnium abstinere et, quod omnibus insulanis patet, utilitati proximorum totis uiribus inseruire. Ad uestrum ergo apostolatum confugere compelluntur ut laboribus eorum manum misericordiae porrigatis. Inter cetera ecclesiam de Effingeham quam eis, petente domino fundi, donauit dominus Wintoniensis, et gloriosus decessor uester Eugenius secutus eiusdem domini Wintoniensis scriptum sub priuilegio confirmauit, in iniuriam apostolicae maiestatis et confusionem sanctorum canonum contulit memoratus episcopus cuidam publicano fere laico, filio sacerdotis, qui in ea ecclesia ministrauerat. Ecclesiam quoque eorum de Uppetona miles quidam, dissimulante episcopo, inpune suis decimis spoliauit.

2. An Epitaph of Queen Jadwiga (Hedvigis) of Poland

Hoc iacet Hedvigis tumulo regina, Poloni
 quae merito Regni nobile sidus erat,
heres Pannoniae quondam felicis, iniquum
 cum nondum ferret Caesaris acta iugum.
Exstitit haec quondam Ludovici clara propago,
 qui rex Pannoniae Sarmatiaeque fuit;
cuius in amplexum veniens Iagyello decorum
 dux Lithuanorum Sauromatumque fuit.
Hedvigis thalamo iunxit duo regna pudico,
 copula Lithuanis facta Getisque simul.
Haec quoque serpentes, silvas ignemque colentes
 duxit ad immensi Numina magna Dei,
se ratione gerens magnorum ex more virorum
 subdita paene sibi, fastu abeunte, fuit.
Improba forte aliquos si quando pressit egestas,
 hanc larga semper sustulit ipsa manu,
Magnanimoque pios facientes sacra Tonanti
 non est passa sitim, non tolerare famem.

3. A declaration by the clergy on the Scottish succession

Noverit universitas vestra quod cum inter dominum Johannem de Balliolo dudum regem Scocie per regem Anglie de facto promotum et recolende memorie quondam dominum Robertum de Brus, avum domini Roberti regis qui nunc est, orta fuisset materia questionis quis eorum videlicet proximior esset jure sanguinis ad hereditandum et regnandum super populum Scoticanum, fidelis populus sine dubitatione semper tenuit, prout a suis antecessoribus et majoribus intellexerat, et credidit verum esse, quod dictus dominus Robertus avus post mortem regis Alexandri ejusque neptis filie regis Norwagie verus heres extitit, et cunctis aliis ad regni

regimen preferendus, licet humani generis inimico zizaniam seminante diversis machinationibus emulorum et cautelis quas per singula longum esset enarrare in contrarium res sit versa, pro cuius eversione et carencia regie dignitatis dampna gravia regno Scocie et ejus incolis ex tunc evenerunt, prout facti experientia rerum magistra, hactenus sepe repetita, manifeste declaravit.

4. The Council of Trent's decree on the authoritative version of Holy Scripture

Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quae pro authentica habenda sit, innotescat: statuit, et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.